

augendæ potentia causa, artem suã perulgari nolebant, nisi Gn. Flavius primus eam propalasset, qui ob id cornicum oculos confixisse dictus est, ita res suas Græci sub cortice figmentis q̄ fabulosis occultantes, idiotas homines à mysteriis suis arcere, ac propulsare studebant. Quæ quidem Palæphatus ad Gn. Flaviu instar (suos ueluti prodens) diuulgare non dubitauit, fabulas omnes, quæ super ueritate ipsa confictæ fuerant, nequæ fidem capiebant, ad historiae sensum ac ueritatem referens. Cui tamen (cum Græcus & ipse sit) dubium quibusdam scio, uideri posse, an fides eadem eius, quæ cæterorum Græcorum scriptis adhiberi debeat, quin idem quoque in taxandis aliorum mendaciis uanus ac mendax appareat, né ue ex fabulis fabulas confingere, ac mendacis mendacia adstruere uoluisset uideatur. Qua in re, ne tale quidpiam de se crederetur, ueritas, in præfatione operis sui ad omne dubium protsus tollendum ea se dumtaxat scribere, quæ oculata fide uiderit, quæ ue ab aliis qui ad ea uidenda profecti essent, audierit, testatur. Quæ res magnam credulitatis fidem ei dubio procul arrogat, seq̄ à labe illa mendacii plane eximit. Tantumq̄ abest, ut Græcorum more uanus ipse esse, aut aliorum uanitates confouere uelit, ut suorum etiam mendacia detegere, & in medium allata, suscepta etiam adhæc uidenda, ut Pausanias,

Plinius, & alii factitarunt, peregrinatione, confutare

nō dubitet. Vtuncq̄ uero res sese habeat,

æqui boni quæ lector consu-

las, rogamus.

k 2 PALÆPHA

